

sequi oppositam opinionem, dummodo absit irreverentia, vel contemptus, quia hoc redundat in Ecclesiam. Prætera Div. Thomæ doctrina est valde profunda, conatur enim radices veritatis penetrare, quod maxime occultum, et laboriosum est, ergo non possunt omnes eam intelligere, et consequenter nec sequi, et alias non tenentur credere, ergo ex hoc nihil mali faciunt. Similiter, et de ipsa intelligentia D. Thomæ sæpe controversum est, quo casu non est contra D. Thomam, si quilibet sequatur suam intelligentiam probabilem.

Dices ergo: Tota probatio Ecclesiæ non extrahit doctrinam Div. Thomæ a linea, et gradu probabilitatis, seu opinionis, et ita non magis approbata, seu certa manet ejus doctrina, quam aliorum doctorum, qui oppositum tenent etiam ut probabile. Respondetur sine dubio in doctrina Div. Thomæ non omnia æquali gradu certitudinis constare, sed quædam ut certa, quædam ut opinativa. Sed in his etiam opinativis datur latitudo, et diversitas, quædam enim sunt probabiliora aliis, et magis a periculo erroris remota, et convenientius tradita. Dicimus ergo, quod præ aliis doctrinis præsertim sibi oppositis, hoc amplius sortitur doctrina Div. Thomæ ex judicio, et approbatione Ecclesiæ, quod in suo gradu ut certior, vel melior, et ut convenientior pro doctrina christiana judicatur, et quasi regula aliarum doctrinarum (certissima regula doctrinæ christianæ nominatur a Pio v.) et ut sine erroris periculo sequenda proponitur, quia sine ullo prorsus errore scripta dicitur a Clemente VIII. Commendari autem in securitate doctrinæ, maxima commendatio est, licet aliæ non damnentur ex hoc, neque rejiciantur, sed hæc antefertur. Insanum enim videtur, quod si Ecclesia majoribus

titulis, ac pluribus modis extollit, et approbat S. Thomæ doctrinam, ex æquo admittat, et probet eam, quæ isti contradicit, sic enim destrueret quod ædificaret.

#### ARTICULUS IV.

##### *Objectiones contra prædicta.*

Primo objicitur: Ecclesia non definivit doctrinam D. Thomæ nec aliquem certitudinis gradum ei attribuit, sed solum opinativo modo processit, et laudando illam, ergo non excedit approbatio ista limites approbationis opinativæ. Hoc autem modo etiam multos Ecclesiæ patres, et doctores commendat Ecclesia, et laudat, nec nimis quam D. Thomæ doctrinam, ergo D. Thomæ doctrina non est prælata aliis doctoribus, multo minus patribus, quibus semper inferior est, et sic licet impune eam deserere, et impugnare. Major est certissima, et a nobis admissa, et a tota Ecclesia sic intellecta, alias si omnis doctrina Div. Thomæ esset definita, condemnandi essent tam illustres doctores, et theologi, qui oppositum sequuntur. Minor vero probatur, nam in cap. Gloriosus, de reliquiis, maxime commendatur doctrina sanctorum quatuor doctorum Ecclesiæ, et in bulla Sixti v, pro S. Bonaventura parificatur doctrina ejus doctrinæ D. Thomæ, nec minus quam ipse commendatur, ut constare potest textus ipsos intuenti. Addit Dermicius in sua Nitela, pag. 44. quod si ex approbatione pondus doctrinæ aestimandum est, solus Alexander Alensis omnes superavit, quia ut narrat Possevinus: « Jussu Innocentii IV, summam theologiæ composuit ea methodo qua nemo unquam attigerat, eam autem summam Alexander IV di-

plomate, ac septuaginta virorum syngraphis comprobavit, ut proinde merito irrefragabilis doctor inde salutetur. Quod si Divus Thomas pluribus titulis, modisque laudatur ab Ecclesia id totum per accidens, et materialiter solum multiplicatur, non majorem certitudinis gradum addit.

Secundo, arguitur ex communi usu, et praxi Ecclesiæ, quæ optime suas leges interpretatur. Sic autem doctrina D. Thomæ et S. Augustini approbata est, et acceptata in Ecclesia ut non sit illicitum in aliquo ab ea discedere, cum quotidie videamus multos deserere opiniones D. Thomæ sine ullo scrupulo talium approbationum, et sic tolerantur in Ecclesia, ergo signum est illam approbationem non excedere gradum probabilitatis opinative, et consequenter manere doctrinam in illis terminis quibus ante, et sic non confert approbatio illa quidquam ad certitudinem, sed ad commendationem, et laudem doctrinæ, et sic æque potest teneri sententia D. Thomæ atque opposita. Idem videmus fieri in doctrina D. Bonaventuræ, quæ tamen approbata est a Sixto v, sicut doctrina D. Thomæ. Cum ergo isti s. doctores inter se oppositas opiniones habeant, et uterque sit approbatus ab Ecclesia, manifestissimum signum est tales approbationes non majorem certitudinem præbere, sed ad solam honorariam commendationem.

Tertio, Ecclesia in istis approbationibus non procedit ad aliquas propositiones, vel sententias in particulari, sed indiscriminatim, et in communi omnes libros, omnem doctrinam commendat. At in libris D. Thomæ multa philosophica continentur, multæ etiam quæstiones ad res fidei non necessariae, ut tam multa de habitibus, de passionibus, etc. quæ omnia impossibile est æque

esse approbata ab Ecclesia, præsertim cum non præcesserit singulorum discussio ad talem approbationem ferendam, ergo non videtur intentum Ecclesiæ esse, dare approbationem aliquam quantum ad majorem certitudinem, sed solum aequaliter commendare in excellentia ordinis, methodi, aliisque similibus accidentibus, non in prælatione ad alias aut damnatione aliarum.

Confirmatur quia etiam in c. Sancta Romana xv distinctione plura sanctorum patrum opuscula sic indiscriminatim approbantur, et tamen non ita omnia in singulari dicta censentur approbata, quod non liceat ab eis in aliquo recedere, ut certiora reddantur præ reliquis doctrinis, sed in sua probabilitate manent. Et in v. Synodo generali, collatione III, in fine dicitur: Sequimur per omnia sanctos patres, et doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum et suscipimus omnia quæ de recta fide, et condemnatione hæreticorum exposuerunt. Numquid approbatio scriptorum D. Thomæ major est ista? Et tamen inquam, multum discedimus aliquando a sententiis istorum sanctorum in his quæ ad fidem non pertinent? Idem sumitur ex Concilio Lateranensi I, sub Martino Papa, consultatione v, ubi dicitur condemnatum esse verbo, et mente, qui non susceperit omnes sanctas Synodos, et venerabiles patres, cunctaque quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium hæresum. Et in Concilio Romano II, sub Zacharia, et in Valentino sub Leone IV. similis approbatio datur pro doctrina patrum ut supra articulo primo retulimus. Cur ergo in D. Thomæ doctrina amplius approbationes Ecclesiæ operabuntur, quam in approbationibus sanctorum patrum? Certe ca-

nonizatio sancti non omnes actus ejus in singulari approbat ergo nec approbatio doctrinæ omnes, et singulas propositiones.

Confirmatur secundo, quia ipsa Ecclesia approbat universitates in quibus sunt cathedræ Scoti, Durandi, Nominalium, etc. qui contraria doctrinæ D. Thomæ senserunt, et ab aliquibus magnis viris, et piissimis illæ opiniones approbantur easque sectantur; ergo signum manifestum est approbationem doctrinæ D. Thomæ non ad hoc esse ut certitudinem aliquam ei præbeat, sed in probabilitate relinquat, et solum commendet ipsam laude quadam honoraria.

Quarto, D. Thomas sibi ipsi aliquando est contrarius, et retractat suas sententias, ergo non potest tantam habere certitudinem, nec ex speciali infusione esse factum, quod eguit retractatione. Unde non est mirum, quod ab aliis deseratur, si ipse se deserit. Quid, quod excellentiores discipuli D. Thomæ aliquando ipsum deserunt, nec jurant in verbo Magistri, ut Cajetanus, Victoria, Cano, Oleaster, Petrus Soto, Dominicus Soto, Capreolus, quorum plures opiniones in quibus recedunt a D. Thomæ coacervat libellus supplex pro elucidario a natione Cantabrica a fol. 158, non ergo possunt omnes D. Thomæ sententiæ ex istis approbationibus Ecclesiæ accipere certitudinem.

Quinto, arguit Durandus, in prologo ad librum I sententiarum. Nihil nisi temerarius audebit dicere, quod magis acquiescendum sit auctoritati cujuscumque doctoris, quam auctoritati doctorum quos Ecclesia celebrat, ut S. Augustini S. Hieronymi, etc. Sed in ipsis sacris doctoribus est aliquid, quod possit rejici, et displicere, ergo et in doctrina D. Thomæ. Minorem probat ex ipso Augustino tum in proemio, lib. III de

Trinitate, tum in libro II ad Vincetium Victorem, qui est IV liber de anima, et ejus origine, et aliis locis, quæ ad verbum referemus in solutione hujus argumenti, quibus fatetur S. Augustinus multa esse in suis opusculis quæ merito sibi displiceant et errare eos, qui putant in omnibus esse dicta sua defendenda, ut patet in epistola VII ad Marcellinum.

## SOLUTIONES OBJECTIONUM

Ad primum respondetur nos nequaquam dicere, quod Ecclesia suis approbationibus definivit doctrinam D. Thomæ sed tamen sic approbavit, quod ex vi approbationis nihil erroneum, aut indefensibile continere fateamur, eo quod expresse dicitur sine errore esse conscripta, et sic cæteris convenientior, et certior, vel probabilior haberi debet juxta gradum cujuscumque materiæ, eo quod speciali infusione perfecta dicitur, et ut certissima regula doctrinæ christianæ, et clypeus contra hæreticos commendatur. Neque hoc opinativo modo facit Ecclesia, licet non definitivo, et tamquam de fide; aliud est enim quod doctrinam, et opiniones in ea contentas approbet, aliud quod opinativo modo id faciat. Non procedit Pontifex opinativo modo, quia non ut particularis doctor, sed ut pastor Ecclesiæ ut jam supra probavimus articulo secundo, et licet non definiat de fide, tamen procedit ex sufficienti certitudine ad approbandam etiam opinativam doctrinam intra probabilitatis gradum eam approbando, et ab errore liberam declarando, sicut etiam approbat regulam religionis, et communes leges Ecclesiæ, non definiendo de fide, sed dirigendo ad mores, et pascendo sana doctrina. Et non est mirum hoc, quia de ipsa probabilitate doctrinæ po-

test dari certitudo, et sic non opinativo modo, sed certo potest Ecclesia probabilitatem doctrinæ approbare, et approbando addere sua auctoritate majorem probabilitatem, vel certitudinem in illa linea; sicut certo approbavit, ut probabilior opinionem de infusione virtutum in baptismo; ergo multo melius quando universaliter approbat doctrinam, et consequenter ea quæ sub tali universalitate continentur.

Quod vero dicitur eodem modo approbasse Ecclesiam aliorum patrum, et doctorum scripta, respondetur ex supra dictis specialiori modo approbasse Ecclesiam doctrinam D. Thomæ et S. Augustini quam aliorum doctorum quos commendat, et summopere laudat, sed non ita specialiter de eorum judicat sicut in quarto modo approbationis, articulo primo diximus v. g. dicendo, quod sine omni errore sit scripta, aut non sine speciali Dei infusione perfecta, aut quod sit certissima regula christianæ doctrinæ, sicut dicit de doctrina D. Thomæ, aut quod eam sequitur, et probat S. Romana Ecclesia, sicut dicit de doctrina S. Augustini. Nec in hoc fit injuria aliis doctoribus, et patribus, quia doctrina D. Thomæ tota est ex patribus, et in ipsius approbatione omnes honorantur. Hæc dicimus in generali de doctrina D. Thomæ et approbatione ejus ab Ecclesia. In particulari autem respondemus sequenti argumento tertio ad primam confirmationem loquendo de approbatione S. Bonaventuræ et aliorum.

Ad id quod dicitur de Alexandro Halensi respondetur quod attinet ad laudem talis doctoris ejusque doctrinæ, fatemur impares nos esse. Quod vero attinet ad diploma pontificium quo approbata est ejus doctrina, certe bulla, seu edictum pontificium hodie desideratur apud auc-

tores, nec possumus videre quo genere approbationis a Pontifice proponatur. Videntur tamen verba Possevini non de aliqua speciali approbatione procedere; sed de illo generali modo approbandi libros aliorum auctorum, de quo articulo primo, vel in tertio modo approbationis diximus. Unde ex solis illis verbis non inspecto Pontificis edicto dicere, quod in approbatione superavit solus Alexander, est pronuntiare sententiam causa non inspecta. Nam ipse solum affert approbationem Pontificis factam ab Alexandro, qualis vero approbatio sit, non affert; constat autem multos alios esse approbatos, ut S. Augustinus, S. Bonaventura, S. Thomas, multi ex patribus; et de S. Augustini et S. Thomæ approbationibus specialibus constat. Unde ergo superavit solus Halensis in approbatione? Num approbatus est sicut Augustinus? Non ostenditur. Unde ergo constat, quod plusquam D. Thoma qui ad instar S. Augustini approbatus est. Nec tituli quibus approbatur D. Thomas sunt solum multiplicatione plures, sed certitudine, et qualitate, quia sine omni errore doctrina ejus esse dicitur, et cœlesti infusione perfecta, et similia, quæ ad certitudinem spectant.

Ad secundum respondetur, usum, et praxim Ecclesiæ ostendere id ipsum, quod nos concedimus, scilicet non ita approbasse Ecclesiam hanc doctrinam, quod eam definiat de fide, sed majorem ejus convenientiam, et præ cæteris excellentiam in certitudine, probabilitate, et aliis similibus respective juxta gradum cujuscumque materiæ, sive certæ, sive probabilis, ut explicatum est. Licet tamen ex vi approbationis Ecclesiæ non damnentur, aut prohibeantur aliqui sequi oppositum, quia etiam suam probabilitatem habere potest, dummodo sine contemptu, aut irreverentia fiat,

cæterum non parum in linea certitudinis, et probabilitatis confert Ecclesiæ approbatio, quatenus et securiorem reddidit doctrinam D. Thomæ de periculo erroris, dicendo sine errore prorsus esse conscriptam, et convenientiorem, conformiorem veritati, dum dicit fuisse perfectam ex infusione cœlesti, et esse certissimam regulam doctrinæ christianæ. Quod vero dicitur de approbatione doctrinæ S. Bonaventuræ dicimus esse quidem magnam, et omni veneratione suscipiendam, sed non ita specialem sicut approbatio doctrinæ D. Thomæ ut mox dicemus, unde stantibus contrariis sententiis inter hos sanctos doctores, illi potius favere videtur approbatio Ecclesiæ, cui plures magisque speciales approbationes tribuit circa ea quæ tangunt certitudinem, ut quia istam approbat de carentia erroris, de speciali infusione, et similibus, quæ ad certitudinem conducunt; illi autem minus favere videtur, cui non has approbationes tribuit, sed solum quæ pertinent ad commendationem, et laudem, et illustrationem Ecclesiæ in generali, ut facit circa S. Bonaventuram Sixtus v.

Ad tertium respondetur, non omnia D. Thomæ ex æquo esse approbata, sed unumquodque in genere suo, nam et ipse Deus vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona non tamen æqualiter bona, sed unumquodque juxta genus suum. Et sic approbatio ista non transfert probabilia in evidentiam, vel in certitudinem de fide, sed in statu probabilitatis addit illis majorem securitatem ab errore, et declarat majorem convenientiam, seu conformitatem ad verum. Quod vero dicitur hoc factum fuisse indiscriminatim, et sine discussione, et examine singulorum, respondetur non esse factum examen, et discussionem, qualis requiritur ad definiendam rem de fide, vel quamli-

bet sententiam seorsim, sed esse factam discussionem, quæ requiritur ad approbationem majorem doctrinæ securioris, et probabilioris generaliter. Quæris, quæ discussio ista sit? Breviter dico, quod ex doctrina D. Thomæ Ecclesia, tam in Conciliis, quam extra, innumeras hæreses profligaverit, et devicerit, ut testatur Pius v, in edicto quo eum doctorem Ecclesiæ pronuntiavit; quod spatio plusquam trecentorum annorum disputationibus, controversiis, in scholis, in consistoriis, in Conciliis, in omni doctrinæ ventilatione versatur D. Thomas et semper ejus doctrina purior, lucidior admirabilior apparet. Cui hæc discussio non sufficit, quid sufficiet? Quod ab ipso hujus doctrinæ initio reputata sit ita admirabilis, quod ipso Christi Domini ore approbata sit, quod quinquaginta fere annis post ejus obitum felicissimum in bulla canonizationis ejus pronuntiatum est, opera doctrinæ suæ non perfecisse sine speciali Dei infusione. Super hæc omnia, nonne sufficiens fundamentum, et examen habuit Ecclesia, ut præferret ejus doctrinam, non solum in methodo, ordine, aliisque accidentalibus, sed in securitate, certitudine, et veritate solida? Nec tamen reliquas condemnavit, aliud est enim excellentiorem esse, aliud reliquas non esse bonas, sicut vita contemplativa est melior, sed activa non mala. Et Christus Dominus dixit D. Thomam bene scripsisse, sed non alios male. Absit, ut tantum doctorem et tam sublimem doctrinam sola aliarum damnatione bonam esse velimus. Inter bonas est melior, et inter catholicas approbatur, et ab Apostolica Sede de securitate commendatur, quia ab omni errore declarata libera.

Ad primam confirmationem, respondetur, approbationes patrum vel doctorum in argumento relatas non

ita speciales esse, sicut quæ factæ sunt ab Ecclesia pro D. Thoma et S. Augustino. Nam in c. Sancta Romana approbantur opuscula quorundam patrum, et eorum doctorum, qui ab Ecclesia Romana non deviaverunt, et in ejus communione gratia usque ad mortem permanserunt, quantum ad hoc quod est eorum libros non esse apocryphos, nec rejiciendos ab Ecclesia, sed in eis legi posse. In quinta Synodo recipiuntur omnia, quæ Sancti patres de recta fide et condemnatione hæresum posuerunt, et in aliis Conciliis etiam probantur ea quæ sancti patres contra hæreticos docuerunt. Ubi et illa quæ ad expositionem fidei, et condemnationem hæresum pertinent, id est, quæ dogmatica sunt, omnia acceptantur, et auctoritas patrum sic absolute sumpta omnibus aliis præfertur, quod nemini dubium est. Et tamen receditur aliquando a doctrina alicujus ex patribus, non in his quæ dogmatica sunt, aut ad communem sensum interpretandi Scripturam pertinent (in his enim recedere non licet ex præscripto Concilii Tridentini, sess. iv, et Lateranensi sub Leone x, sess. xi) sicut etiam in multis recedi potest a D. Thoma quæ solum, ut magis probabilia sunt apud ipsum. Similiter in c. Gloriosus, de reliquiis, et veneratione sanctorum commendatur valde doctrina sacrorum doctorum Ecclesiæ, quod ipsam valde illustraverit tamquam sidus matutinum, tamquam luminosæ, ardentisque lucernæ, etc. Et in decreto Sixti v pro S. Bonaventura similia multa de illustratione, et pietate, eruditioneque doctrinæ ejus proponuntur. Hæc omnia licet multum commendent tam illustrem doctrinam, nec parum sit D. Thomæ ac talium doctorum excellentiam attingere, dicimus tamen has omnes commendationes pertinere tantum

ad laudem doctrinæ, et de ea dici quasi in generali, id est, non descendendo ad speciales rationes unde sumitur certitudo, et major securitas, vel probabilitas doctrinæ. Et in hoc dicimus Ecclesiam speciali modo commendasse, et approbasse doctrinam S. Augustini et D. Thomæ quod non fecit in aliis, et licet facere potuerit, vel non facere (de quo non disputo) tamen non fecit adhuc. De S. Augustini doctrina, quia Cœlestinus: « In pietate librorum laudata, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri sancto manifestavit eloquio, » ut inquit S. Prosper in fine libri contra Collatorem. Unde securitatem doctrinæ ejus ab errore asseruit Pontifex illis verbis: « Neque hunc (S. Augustinum) sinistrae suspicionis saltem rumor unquam aspersit. » Similiter Joannes II, in epistola ad Abienum senatorem, et alios quæ extat apud Baronium, anno Christi 534, n. xxiv, dicit quod S. Augustini doctrinam Romana sequitur, et probat Ecclesia, et alia quæ supra articulo primo retulimus, quæ ostendunt speciali modo esse approbatam doctrinam Augustini et auctoritatem habere specialem. Similiter dicit Apostolica Sedes de libris D. Thomæ esse sine ullo prorsus errore, esse perfectos ex speciali infusione Dei, esse certissimam regulam doctrinæ christianæ. Quæ omnia ad certitudinem, et substantiam doctrinæ præ aliis spectant, ergo specialius de illa doctrina censuit Ecclesia, eamque approbavit, quam in aliis sanctis doctoribus, de quibus nihil ita expressit ad certitudinem, probabilitatem, vel majorem, aut minorem carentiam ab omni errore sicut expressit de his duobus sanctis doctoribus. Nec per hoc omnibus patribus præfertur D. Thomas sed potius, ut eorum vestigia sequens laudatur, et sic omnium patrum sancta doctrina in eo appro-